



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

**Parisiis, 1644**

Leges Ecclesiasticae.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15625**

- |  |   |
|--|---|
| III. De iustitia sancta ecclesia.  | XII. De multimoda pace regis, &c. Item de manbota archiepiscopi, episcopi, &c.          |
| IV. De vniuersis tenentibus de ecclesia.                                     | XIII. De thesauris in terra absconditis & inuentis.                                     |
| V. De reis ad ecclesiam fugientibus.   | XIV. Quid sit regis officium, & de Carolo & Pippino* fratre eius <sup>*lege filii</sup> |
| VI. De fractione pacis ecclesia.   | XV. De baronibus qui suas habent curias & consuetudines.                                |
| VII. De decimis ecclesia reddendis, de ouibus & porcellis.                   | XVI. De saccha.   |
| VIII. De apibus, & aliis multis minutis decimis.                             | XVII. De foca.  |
| IX. De his qui ad iudicium ferri vel aqua iudicati sunt per iustitiam regis. | XVIII. De thol.   |
| X. De denario sancti Petri, quod Anglice dicitur Rome scot.                  | XIX. De theam.  |
| XI. Quid sit danegeldum, & qua occasione sit constitutum.                    | XX. De infangthefe.   |
|  | XXI. De Iudais.   |
|  | XXII. Decretum regis de usurariis.  |

INCIPIVNT LEGES SANCTI EDVVARDI REGIS  
 quas in Anglia tenuit, quas Vvilielmus heres  
 & cognatus suus postea confirmauit.

P R Æ F A T I O.

**P**OST acquisitionem Angliæ Vvilielmus rex quarto anno regni sui consilio baronum suorum fecit submoneri per vniuersos Angliæ consulatus, Anglos nobiles, sapientes, & sua lege eruditos, vt eorum leges, & iura, & consuetudines ab ipsis audiret. Electi igitur de singulis totius patriæ comitatibus viri duodecim, iureiurando primum coram rege confirmauerunt, vt quoad possent recto tramite incedentes, nec ad dextram nec ad sinistram diuertentes, legum suarum & consuetudinum sancta patefacerent, nihil prætermittentes, nihil addentes, nihil præuaricando mutantes. A legibus igitur sanctæ matris sumentes exordium, quoniam per eam rex & regnum solidum subsistendi habent fundamentum, leges, libertates, & pacem ipsius concionati sunt, dicentes:

LEGES ECCLESIASTICÆ.

I.

Omnis clericus, & etiam scholaris, & omnes eorum res & possessiones vbicumque fuerint, pacem Dei & sanctæ ecclesiæ habeant.



## II.

Ab aduentu Domini vsque ad octauas epiphaniæ pax Dei & sanctæ ecclesiæ per omne regnum. Similiter a septuagesima vsque ad octauas paschæ. Item ab ascensione Domini vsque ad octauas pentecostes. Item omnibus diebus quatuor temporum. Item omnibus sabbatis ab hora nona, & tota die sequenti, vsque ad diem Lunæ. Item vigiliis sanctæ Mariæ, sancti Michaelis, sancti Ioannis Baptistæ, apostolorum omnium, & sanctorum, quorum solennitates a sacerdotibus dominicis annuntiantur diebus, & omnium sanctorum in Kalendis Nouembris, semper ab hora nona vigiliarum, & subsequente solennitate. Item in parochiis, in quibus dedicationis dies obseruatur. Item in parochiis ecclesiarum, vbi propria festiuitas sancti celebratur. Et si quis deuote ad celebrationem sancti adueniat, pacem habeat eundo, & subsistendo, & redeundo. Item omnibus Christianis ad ecclesiam causa orationis euntibus pax in eundo & redeundo sit eis. Similiter ad dedicationes, ad Synodos, ad capitula venientibus, siue submoniti sint, siue per se quid agendum habuerint, sit summa pax. Etiam si excommunicatus aliquis absoluendi causa ad episcopum confugerit, absolutus, eundo & redeundo pacem Dei & sanctæ ecclesiæ habeat. Quod si aliquis ei forisfecerit, episcopus inde iustitiam faciat. Verumtamen si quis arrogans pro episcopi iustitia emendare noluerit, episcopus regi notum faciat. Rex autem constringat malefactorem, vt emendet cui forisfecerit, scilicet primum episcopo, deinde sibi: & sic erunt duo gladii, & gladius gladium iuuabit.

## III.

Vbicumque regis iustitia, vel cuiuscumque sit placita tenuerit, si missus episcopi veniens illuc apparuerit causam sanctæ ecclesiæ, ipsa primitus terminetur: iustum est enim vt vbique Deus præ ceteris honoretur.

## IV.

Quicumque de ecclesia aliquid tenuerit, vel in fundo ecclesiæ mansionem habuerit, extra curiam ecclesiasticam coactus non placitabit, quamuis forisfecerit, nisi (quod absit) in curia ecclesiastica rectum defecerit.



## V.

Vbicumque reus vel noxius ad ecclesiam præfidii causa confugerit, ex quo atrium ecclesiæ tenuerit, a nemine insequente nullatenus apprehendatur, nisi per pontificem vel ministros eius. Quod si fugiendo domum sacerdotis, vel curiam eius intrauit, eamdem securitatem & pacem habeat quam & apud ecclesiam, dum tamen domus sacerdotis & curia eius in fundo ecclesiæ consistant. Hic si latro vel raptor est, quod male cepit (si ad manum est) reddat: & si illud penitus extirpauerit, & de suo proprio vnde reddat habuerit, in integrum ei cui damnum intulit restituat. Quod si more solito latro taliter egerit, & forte fortuito ad ecclesiam & sacerdotum domos frequenter euaserit, ablatione restituta, prouinciam forisiuret, nec redeat: & si forte reditum fecerit, nullus eum hospitari præsumat, nisi a rege data licentia.

## VI.

Si quis vero sanctæ pacem ecclesiæ violenter infregerit, episcoporum est iustitia. Quod si nocens sententiam eorum diffugiendo vel arroganter contemnendo despexerit, clamor de eo deferatur ad regem post quadraginta dies, & regis iustitia mittet eum per vadimonium, & plegios (si habere poterit) vsque dum Deo primitus, regi & ecclesiæ postea satisfaciat. Qui si infra triginta & vnum dies, siue per amicos aut notos, siue per iustitiam regis inueniri non poterit, vtlagabit eum rex verbo oris sui. Si vero postea repertus fuerit, & retineri possit, viuis regi reddetur, vel caput eius, si se defenderit: lupinum enim gerit caput a die vtlagationis suæ, quod Anglice *Vulfesheofod* dicitur. Et hæc est lex communis & generalis de omnibus vtlagatis.

## VII.

De omni annona decima garba Deo debita est, & ideo reddenda. Et si quis gregem equarum habuerit, pullum reddat decimum; qui vnam tantum vel duas habuerit, de singulis pullis singulos denarios. Similiter qui vaccas plures habuerit, decimum vitulum; qui vnam vel duas, de vitulis singulis obolos singulos. Et qui caseum fecerit, de Deo decimum; si vero non fecerit, lac decimo die. Similiter agnum decimum, vellus decimum, caseum decimum, butyrum decimum, porcellum decimum.

## VIII.



## VIII.

De apibus vero similiter decima commodi, quin etiam de bosco, de prato, de aquis, & molendinis, parchis, viuariis, piscariis, virgultis, hortis, & negotiationibus, & omnibus rebus quas dederit Dominus, decima pars ei reddenda est, qui nouem partes simul cum decima largitur. Qui eam detinuerit, per iustitiam episcopi & regis, si necesse fuerit, ad redditionem arguatur. Hæc enim beatus Augustinus prædicauit & docuit, & hæc concessa sunt a rege, & baronibus, & populo. Sed postea instinctu diaboli multi eam detinuerunt, & sacerdotes locupletes negligentes non curabant inire laborem ad persequendas eas, eo quod sufficienter habebant suæ necessaria vitæ. Multis enim in locis modo sunt tres vel quatuor ecclesiæ, vbi tunc temporis vna tantum erat, & sic cœperunt minui.

## IX.

Die illo quo iudicium fieri debet, veniat illuc minister episcopi cum clericis suis, & similiter iustitia regis cum legalibus hominibus prouinciæ illius, qui videant & audiant, vt æque omnia fiant: & quos Dominus per misericordiam suam, non per merita saluare voluerit, quieti sint & libere recedant: & quos iniquitas culpæ, non Dominus damnauerit, iustitia regis de ipsis iustitiam faciat. Barones vero qui suam habent curiam de suis hominibus, videant vt sic de eis agant, quatenus erga Deum reatum non incurrant, & regem non offendant. Et si placitum de hominibus aliorum baronum oritur in curiis suis, adsit ad placitum regis iustitia, quoniam absque ea placitum finiri non licet. Si qui barones iudicia non habent, in hundredo, vbi placitum habitum fuerit, ad propinquiorem ecclesiam, vbi iudicium regis erit, determinandum est, saluo iure baronum illorum.

## X.

Omnis qui habuerit triginta denariatus viuæ pecuniæ in domo sua, de suo proprio, Anglorum lege, dabit denarium sancti Petri: & lege Danorum dimidiam marcam. Iste vero denarius debet submoneri in solennitate apostolorum Petri & Pauli, & colligi ad festiuitatem quæ dicitur Ad vincula, ita vt vltra illum diem non detineatur. Si quispiam detinuerit, ad iustitiam regis clamor defera-



tur, quoniam denarius hic eleemosyna regis est : iustitia vero faciat denarium reddere, & forisfacturam episcopi & regis. Quod si quis plures domos habuerit, de illa ubi residens fuerit in festo apostolorum Petri & Pauli denarium reddat. XI.

Videtur hoc caput additum esse tempore Henrici II.

Ecclesia libera fuit a danegeldo vsque ad tempus Vvilielmi Rufi.

Danegeldi redditio propter piratas primitus statuta est : patriam enim infestantes, vastationi eius pro posse suo insistebant. Ad eorum quidem insolentiam reprimendam, statutum est danegeldum annuatim reddi, scilicet duodecim denarios de vnaquaque hida totius patriæ, ad conducendos eos qui piratarum irruptioni resistendo obuiarent. De hoc quoque danegeldo libera & quieta erat omnis ecclesia, & etiam omnis terra quæ in proprio dominio ecclesiæ erat ubicumque iacebat, nihil prorsus in hac tali redditione persoluens, quia magis in ecclesiæ confidebant orationibus, quam in armorum defensionibus. Hanc itaque tenuit Anglorum ecclesia libertatem vsque ad tempora Vvilielmi regis iunioris, qui Rufus vocabatur : donec eodem a baronibus Angliæ auxilium requirente, ad Nortmanniam retinendam de Roberto fratre suo, cognomento Curtehose, Ierusalem proficiscente, concessum est ei, non lege statutum tamen, neque firmatum, sed hac necessitatis causa, ex vnaquaque hida sibi dari quatuor solidos, ecclesia non excepta. Dum vero collectio census fieret, proclamabat sancta ecclesia suam reposcens libertatem, sed nihil profecit.

## XII.

Pax regis multiplex est : illa enim data manu sua, quam Angli vocant *cynniger bonde sealde grith* : alia, die quo primum coronatus est, quæ dies tenet octo : in natali Domini, dies octo : in paschate, dies octo : in pentecoste, dies octo, &c. *Infra*. Mambote vero ( id est compensatio domino persoluenda pro homine suo occiso ) Anglorum lege, regi, & archiepiscopo, tres marcas de hominibus eorum propriis : sed episcopo eiusdem comitatus, & consuli, & dapifero regis, viginti solidos, baronibus autem aliis, decem solidos, &c.

## XIII.

Thesauri de terra regis sunt, nisi in ecclesia vel in cœmeterio inueniantur : & licet ibi inueniatur, aurum regis



est, & medietas argenti, & medietas ecclesie vbi inuentum fuerit, quæcumque ipsa fuerit, vel diues, vel pauper.

XIV.

Rex autem qui vicarius summi regis est, ad hoc est constitutus, vt regnum terrenum, & populum Domini, & super omnia sanctam veneretur ecclesiam eius, & regat, & ab iniurijs defendat, & maleficos ab ea euellat & destruat, & penitus disperdat: quod nisi fecerit, nec nomen regis in eo constabit; verum, testante papa Ioanne, nomen regis perdit. Cui Pippinus & Carolus filius eius \* necdum reges, sed principes, sub rege Francorum stulto scripserunt, quærentes si ita permanere deberent Francorum reges solo regio nomine contenti. A quo responsum est: Illos decet vocari reges, qui vigilanter defendunt & regunt ecclesiam Dei, & populum eius, imitati regem Psalmographum dicentem: *Non habitabit in medio domus meæ qui facit superbiam, &c.*

XV.

Archiepiscopi, episcopi, comites, barones, & omnes qui habent sacham, & socam, thol, team & infangthefe, etiam milites suos & proprios seruientes, scilicet dapiferos, pincernas, camerarios, coquos, pistores, sub suo friborgo habeant. Et item isti suos armigeros, vel alios sibi seruientes sub suo friborgo. Quod si cui forisfacerent, & clamor vicinorum de eis assurgeret, ipsi tenerent eos rectitudini in curia sua: illi dico qui haberent sacham, & socam, thol, & theam, & infangthefe.

XVI.

Sacha est, quod si quilibet aliquem nominatim de aliquo calumniatus fuerit, & ille negauerit, forisfactura probationis vel negationis, si euenerit, sua erit.

XVII.

Socha est, quod si aliquis quærit aliquid in terra sua, etiam furtum, sua est iustitia, si inuentum fuerit, an non.

XVIII.

Thol (quod nos dicimus telonium) est, scilicet quod habeat libertatem vendendi & emendi in terra sua.

XIX.

Theam, quod si quispiam aliquid interciat super aliquem, & interciatus non poterit varrantum suum habere,

*Concil. Tom. 25.*

V u u ij

*Psal. 100.  
Que præterea sequuntur apud Lambardum in hoc capite de officio regis, & de iure & appenditijs coronæ regni Britanniæ, cum epistola Eleutherii papæ ad Lucium regem, non habentur aut in nostro manuscripto aut in Hovede-  
no.*

\* *alias nondum*



erit forisfactura sua, & iustitia similiter de calumniatore, si defecerit.

## XX.

Omnis enim qui habet sacha & socha, tol & them, & infangdthese, prædictas videlicet consuetudines, iustitia cognoscentis latronis sua est, de homine suo, si captus fuerit super terram suam. Illi vero qui non habent has consuetudines, coram iustitia regia rectum faciant in hundredis, vel in vvapentachiis, vel in scyris.

## XXI.

Sciendum quoque quod omnes Iudæi, vbicumque in regno sunt sub tutela & defensione regis, ligea debent esse, nec quilibet eorum alicui diuiti se potest subdere sine regis licentia. Iudæi enim & omnia sua regis sunt. Quod si quispiam detinuerit eos, vel pecuniam eorum, perquirat rex, si vult, tamquam suum proprium.

## XXII.

Vfurarios quoque defendit rex Edvvardus, ne remaneret aliquis in toto regno suo. Et si quis inde conuictus esset quod fenus exigeret, omni substantia propria careret, & postea pro exlege haberetur. Hoc autem asserbat ille rex se audisse in curia regis Francorum, dum ibidem moraretur, quod vsura summa radix omnium vitiorum est.

LEGES ALIÆ EDVWARDI REGIS  
NORTMANNICO IDIOMATE CONSCRIPTÆ.

## TITVLI LEGVM ECCLESIASTICARVM.

- |   |   |
|---|---|
| I. De pace sanctæ ecclesie, & asyli iure eidem concesso.      | III. De denario sancti Petri (seu Romescot) pendendo. |
| II. De eo qui monasterium, seu ecclesiam, vel domum fregerit. | IV. De reuientibus sancti Petri denarium pendere.     |
|   | V. De intestatorum bonis.                             |

## PRÆFATIO.

**C**ES font les leis & les costumes que le reis Vviliam grauntat à tut le puple de Engleterre, apres le con-

**H**Æ sunt leges & consuetudines quas Vvilielmus rex concessit vniuerso populo Angliæ, post terræ acquisitionem: